

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Ovids Epikedeion auf Tibull setzt mit Überlegungen zur Sterblichkeit von Götterlieblichen ein:

MEMNONA si mater, mater plorauit Achillem,  
 et tangunt magnas tristia fata deas,  
 flebilis indignos, Elegia, solue capillos:  
 a, nimis ex uero nunc tibi nomen erit.  
 ille tui uates operis, tua fama, Tibullus 5  
 ardet in exstructo corpus inane rogo.  
 ecce puer Veneris fert euersamque pharetram  
 et fractos arcus et sine luce facem;  
 aspice, demissis ut eat miserabilis alis  
 pectoraque infesta tundat aperta manu. 10  
 excipiunt lacrimas sparsi per colla capilli,  
 oraque singultu concutiente sonant.  
 fratris in Aeneae sic illum funere dicunt  
 egressum tectis, pulcher Iule, tuis.  
 nec minus est confusa Venus moriente Tibullo 15  
 quam iuueni rupit cum ferus inguen aper.  
 at sacri uates et diuum cura uocamur,  
 sunt etiam qui nos numen habere putent.  
 scilicet omne sacrum mors inportuna profanat;  
 omnibus obscuras inicit illa manus. 20  
 quid pater Ismario, quid mater, profuit Orptheo,  
 carmine quid uictas obstipuisse feras?  
 et Linon in siluis idem pater 'aelinon' altis  
 dicitur inuita concinuisse lyra.  
 adice Maeoniden, a quo ceu fonte perenni 25  
 uatum Pieriis ora rigantur aquis:  
 hunc quoque summa dies nigro submersit Auerno;  
 defugiunt auidos carmina sola rogos.  
 durat opus uatum, Troiani fama laboris  
 tardaue nocturno tela retexta dolo: 30  
 sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt,  
 altera cura recens, altera primus amor.  
 quid uos sacra iuuant? quid nunc Aegyptia prosunt  
 sistra? quid in uacuo secubuisse toro?  
 cum rapiunt mala fata bonos, (ignoscite fasso) 35  
 sollicitor nullos esse putare deos.

(Text: E. J. Kenney, Oxford 1961)

Anmerkungen zum Verständnis von Vers

16: Gemeint ist der Jagdunfall des *Adonis*.

21: *Ismarius*, -a, -um thrakisch; Orpheus ist Sohn des Apollo und der Calliope.

22: *obstipescere* = *obstupescere*

23: *Linus* als Sohn von Apollo; der rituelle Ruf „Ailidon“ wurde als Wehruf auf Linos' Tod gedeutet.

33/34: *sistrum*: Rassel (Musikinstrument ägyptischer Frauen). Anspielung auf den Isis-Kult, für dessen Feier die Frauen sexuell enthaltsam bleiben mussten.